ASSERTIO

QVORVNDAM, QVA, inter cœteras non paucas, affirmant, charitatem non esse maiorē seu præstantiorem fide in hac vita, ab Alberto Nouicampiano, scriptura sacra, & testimoniis orthodoxorum, in præsentiarum vel ob hoc confutata, quod in ea ceu in cardine salus hominis tota vertatur, a qua vna nō orthodoxe astructa, disce alias.

2. AD TIMO. 2.

Seruum domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cū modestia corripientē eos qui resistunt ueritati.

I. PETRI. 3.

Parati semper ad satisfactionem omni poscenti uos rationem de ea quæ in uobis est spe.

HIERONY. IN PROLO. BIBLI.

Sancta quippe rusticitas solum sibi prodest, & quantum ædificat ex uitæ merito ecclesiā Christi, tantum nocet si destruentibus nō resistat.

IDEM.

Multi in eo se doctos arbitrantur, si alijs detrahant, legant prius, ne ex odij præsumptione magis quàm ex iudicio damnare uideantur.

AD LECTOREM.

Gagneius christianiſſimi regis Gallorum Ecclesiaſtes.

REm indubiè bonam eſſe in=
telligimus (ait quidam) amice le=
ctor, fidei prædicationem, cæterū
non vſquequaq; neceſſariam, vt
interim de ſtudioſis operibus ſile
atur, aut admodum frigidè tra=
ctetur. Nullos arbitror eſſe inter
nos, qui Chriſtiani dicimur, qui
non in Chriſtum credant, ſeſeq;
ab illo ſaluari & iuſtificari putēt,
atq; in vnum illum collocandam
fiduciam noſtrā, & certò credant
peccatorum remiſſionē fieri per
illum. Verum qui huic rei reſpon
dentia faciat opera, perpaucos,
adeò mutuis alter in alterum o=
diis inhiamus, adeò noſtra quæ=
rimus, ventri indulgemus, ac car=
ni, falſo libertatis titulo euangeli
cæ, uoluptaria ſectamur, ac placē
tia. Huiuſmodi ergo inſectari vi=
cia

cia, & ad contraria eis opera ad=
hortari, docereq; ne ea nobis tri=
buamus, ſed vni Deo feramus ac
cepta, veri ſunt Euangeliſtæ par=
tes. Noſtræ verò tempeſtatis ho=
mines, qui nihil minus ſunt quā
fideles, quibus ſēper fides, & Chri
ſtus ac ſpiritus in ore, de operi=
bus vel ne verbum quidem faci=
unt, vel frigidè dicunt, adeò vt nō
deſint quidam qui ſumma contē
tione, fidem in hac vita charitati
præferant, noſq; omnes opinione
ſua infideles iudicent. Quorum
quidem aſſertionē, inter cæteras
non paucas, refellendam duxi ſa
cræ ſcripturæ, & grauiſſimorum
authorum, eorumq; orthodoxo=
rum teſtimoniis. Malui enim in
re tā grauiſſima his niti, nec ſom=
nia capitis ſui (ſicut illi ſæpius fa=
ciunt) ſequi, ne rei tam ſeriæ fides

Ratio ordinis in assertiōe tractata obseruati.

abrogetur. Quoniam autem nōnulli recentiorum aiunt fidem nō disiungi à charitate, illamq; in peccatoribus non esse, præterea solā sufficere ad iustificationem, & vitam æternā consequendam. Proinde ego eorum sententiam confutans, scripturæ sacræ locos, & grauissimos authores in medium profero, contrarium docētes. Ex quibus & alijs hic positis, assertionem à me defensam, veram esse demonstro. Vale, hācq; operam nostram boni consule.

(.)

ASSERTIO, INTER ALIAS NON PAUCAS, NON ORTHODOXE, A QUIBUSDAM ASTRUCTA.

¶ Charitas non est fide præstantior seu maior in hac vita.

Huic contraria, & orthodoxa est hæc.

Charitas, &si initium sumit à fide, tamen præstantior seu maior est fide, in hac vita.

Hæc ex sequentibus uera esse colligitur.

Diuus PAVLVS capi. 13. Epistolæ 1. ad Corin. in quo docet charitatē reliquis spiritus sancti donis præstantiorem esse, hæc, inter cœtera, ait. Si habuero (vt in greco est) πᾶσαν πίστιν, id est, omnem fidem, ita vt montes trāsferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Qui quidem locus cum non vno modo exponatur, singulæ expositiones proferendæ, vt veritas magis eluceat. Non desunt (prę sertim qui fidem aiunt nō posse prorsus disiungi a charitate, idq; inepte, vt paulo post patebit) qui hyperbolicos *Prima expositio loci citati.*

 Paulū

Paulum hæc dixisse feruñt. Si scilicet fieri posset per impossibile, vt quispiam haberet tantam fidem, sine charitate, is nihil esset. Non autem asseruisse fidem posse esse sine charitate. Quali hyperbolica exaggeratione in eodem capite vsus. Si linguis hominum loquar & angelorum. Et ad Galatas. Sed licet nos, aut angelus de

Galat. 1

cœlo euangelizet vobis, preterquam quod accepistis, anathema sit. Quo quidem modo, etiam si hic locus intelligatur, constat prudenti, hic a Paulo charitatẽ præferri fidei. Exaggeratione enim res magis confirmat. Alii

Secũda expositio q̃ docetur fidẽ esse posse sine charitate, sed non prodesse.

non hyperbolicos hæc dicta a Paulo exponunt, sed aiunt illum reuera sensisse, fidem inueniri sine charitate, illamcꝫ a charitate disiungi posse, essecꝫ præstantiorem fide. Sicut & in illis verbis in eodem capite positis. Si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnẽ scientiam, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatẽ autem non habuero, nihil

mihi

mihi prodest. Nõ ab impossibilibus argumentatur, sed ex his quæ poterant contingere, pręcellentiam, & necessitatem charitatis colligit, fidẽ autem intelligunt non vulgarẽ, sed synceram, veram, euangelicam, quæ grano sinapis comparatur, non ob exilitatem, sed vim, & acrimoniam, qualis est in modico grano sinapis. Quam interpretationem esse veram, & ipsa verba Pauli indicant. Dicit enim nõ

Matt. 17.

qualemcumcꝫ fidem, sed omnem, & eam quæ montes loco transferat, iuxta promissum Christi. Quæ cum talis sit, non vulgaris esse videtur, & hic a Paulo aperte disiuncta a charitate.

Authores locũ Pauli exponentes.

Ad eum modum locus hic intelligitur a Theophilacto, Origene & Gennadio gręco, vt refert Gagneius Christianissimi regis Gallorum Ecclesiastes in hunc locũ scribens, in qua sententia & ipse est. Quin & Cyprianus Augustinus, Hieronymus, Basilius, Gregorius, Anselmus, Bernardus, citante testimonia eorum Andrea Vega in concilium Tridentinum. Quod & ipsum (vt inq̃t ille) vel illi operarii

ini-

iniquitatis, nobis possunt manifeste
Matth. 7. ostendere, qui apud Matthęum dicunt
Domine nonne in nomine tuo pro-
phetauimus, & in nomine tuo dęmo-
nia eiecimus, & in nomine tuo mul-
tas virtutes fecimus? Quippe hæc tā-
ta & tam eximia opera, sine fide fieri
non potuerunt. Et responsum Chri-
sti ad eos: Nunquam noui vos, veluti
& contextus Græcus habet οὐδέποτε
ἔγνων ὑμᾶς, palam indicat, nec tum ha
buisse eos charitatem, cum illa facie-
Cyprian: de simp: præla. bāt. Quare Cyprianus exaggerās hūc
locum scribit. Iusticia opus est, vt qs
promereri posit Deum, præceptis
eius & monitis obtēperandū est, vt ac
cipiant merita nostra mercedem. Et
Cyrill: in Ioan. ex iisdē verbis sic colligit Cyrillus. Nō
in verborum assentatiunculis, sed in
affectu agētis, fides esse probat. Qua-
Iacobi. 2. re mortuam illam esse sine operibus
scriptura dicit: Et vnde nisi a fide ꝓ-
ficiscebatur illa vox in virginibus fa
tuis: domine domine aperi nobis. At
vero neq; eas charitatē habuisse tū,
perspicuum est ex eo quod clausa eis
fuit ianua, & sponsus eis respondit,
ne

nescio vos. Vnde et Chrisostomus ex Chrisosto. homil. 54
hac parabola colligit, non perdi fidē Matth.
per peccatum, & in hoc errasse virgi-
nes istas quod fidem solam putarunt
ad salutem sufficere. Idemq; nos do-
cent non obscure obiurgationes, qui
bus & Christus & discipuli obiurga-
bant dei populum, non enim vt in-
credulum & infidelem semper repre
hendebant, sed hoc potius frequēter
in eo arguunt quod cū rectam habe-
ret fidem, non tamen rectis, sed pra-
uis vtebantur moribus, & factis vide
bantur negare, quod ore & corde cre
debant. Nā Christus non exprobrat Matth. 11
Chorazī, Bethsaide, & Capernaum,
quod non credidissent, sed quod non
egissent pœnitētiā. Tantundēq; Pau 1. Cor. 13
lus arguebat in Corinthiis, neq; vnq̄ 1. Cori. 5.
aut illos, aut incestuosum reprehen- Iacobi. 2.
dit de incredulitate. Sed apertisime
Iacobus testatur fidem esse in pecca-
toribus. Quid proderit (inquit) fra-
tres mei, si fidem dicat se quis habere,
opera autem non habeat, nūquid po-
terit illum fides saluare? Vides quod
non negat fidem esse sine operibus,
B sed

sed tantum asserit eam, sine illis non
posse quenq̃ saluare. Et statim pecca-
torem rogat. Tu credis quoniã vnus
est deus. Et quasi annuenti se crede-
re, mox ait, bene facis: Sed ne tali fide
putaret quispiam se saluum fore, ad-
iecit statim eã fidem esse etiam in dę-
monibus, & ociosam ac plane mortu
am esse, sicut corpus spiritu destitutũ.
Hoc idem poscunt illa verba Christi
Ioan. 13. ad apostolos, si hæc scitis, beati eri-
tis si feceritis ea. Nam ea satis innuũt
fieri posse, vt q̃s sciat mãdata Christi,
& eis fidem adhibeat, & tamẽ illa nõ
faciat. Ostenditq; hoc nobis aliquan
do apertius Christus, in parabola filii
Lucæ. 15. prodigi. Nam vtiq; fidem ille habe-
bat cum in se reuersus dixit. Quanti
mercenarii patris mei abundant pa-
nibus, ego autem hic fame pereo? Vn
de enim tam bona verba prodiissent?
Atq; hæc præcessisse iustificationem
Hieronymus in epistola ad Damasũ
de filio hoc prodigo palam tradit. Et
manifesta ratio ostendit, quia hæc co
gnitio ad iustificationem non sufficit,
nisi sequatur vera pœnitentia. In E-
uan-

uangelio etiam Ioannis aperte testa- Ioan. 12.
tur multos ex principibus Iudeorum
credidisse in Christum, sed dilexisse
eos magis hominum gloriam, quam
gloriam dei, & propter pharisęos nõ
fuisse confessos quod credebant. Et
certe vel hinc omnes agnoscere de-
berent, fidem sæpe disiungi a charita-
te, & in peccatoribus manere, quia vi
demus multos fideles recte quidẽ cre
dere, & a nullo fidei articulo dissenti-
re, imo & paratos esse mori potius,
quam fidem vel in minimo negent,
& tamen per carnis fragilitatem, vel
per ignorantiam permanere in aliq-
bus peccatis. Sunt & alię rationes q-
bus ostenditur fidem manere in pec-
catoribus, atq; ob id disiungi a chari-
tate. Quodsi quispiã dixerit necesse Obiectio-
esse vt peccator id nõ credat esse ma- nis solu-
lum, aut damnabile quod sciens & vo tio.
lens facit, sed id repugnat & libertati
nostræ voluntatis, & multis testimo-
niis scripturarum. Christus ait. Ser-
uus sciens voluntatem domini, & nõ Lucæ. 12.
faciens eam, plagis vapulabit multis.
Et Iacobus. Scienti igitur bonum fa- Iacobi. 4.
 cere

cere, & nō facienti, peccatum est illi. Et aliis pluribus in locis sacræ scripturæ. Quod si illis non credit, illi ei iurabūt peccatores fideles, se de nulla fidei veritate dubitasse, cum erant in peccato aliquo mortali scientes, & suæ culpę conscii. Palam igitur est ex prædictis sacræ scripturæ locis, fidem sine charitate esse, sed non prodesse ad salutem. Quod etiam summo consensu tradiderunt doctores. Fides pricipium christiani est, plenitudo autē christiani iusticia, inquitt Ambrosius in illud psalmographi. Principium tuorum veritas. Idem in illa verba. Omnes vult saluos fieri. Fides ē quæ dat salutem, quam nisi mens tota susceperit voluntate, & non solum nihil proderit, sed & oberit. Fidei enim gratia hāc habz potestatē, vt deuotis sibi, diuinam infūdat medelam, indeuotis vero conferat morbū, per quē totus homo intereat. Vnde illud Petri, melius erat illis non cognoscere viam iusticiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est sancto mādato. Idem in com

Authores ecclesiastici. *Ambrosi.* *1. Timo. 2.* *1. Petri. 2.*

com: loci Pauli. Virtutes facere, aut dæmonia per fidem eiicere, dei virtus est & gloria, neq; hoc ad meritū proficit, nisi quis bonæ conuersationis fuerit æmulus. Et statim. Nihil ꝓficit charitate neglecta, quia caput religionis est charitas, & qui charitatem non habet, vitam non habet, sine charitate nihil prodest, quia fundamentum religionis est charitas. Quod ergo sine charitate fit, caducū est. Hieronymus item. Frustra nobis in eo applaudimus, cuius mandatum non facimus. Scienti bonum & non facienti illud, peccatum est. Neq; grāde putemus vnum deum credere, cū & dæmones credant & contremiscāt Augustinus dum ostendit detracta charitate nihil cætera prodesse, enumeratis multis dei donis, subdit. Magna res est postremo fides mōtes trās ferēs, sed si ego hæc sine charitate habeam, non illa, sed ego nihil sum. Et alibi. Quid ꝓdest homini vel sana fides, vel sanum fortasse solum fidei sacramentum, vbi letali vulnere scisma

1. Cor. 13. *Hierony. 2. contra Iouinia.* *Augu. sermone 50. de uer. do*

tis, perempta est sanitas charitatis, per cuius interemptionem etiam illa integra trahuntur ad mortem. Et alias, sine charitate fides potest quidem esse, sed non prodesse. Et in alio loco. Charitas quanto in quocunque maior est, tanto melior est in quo est. Cum enim quęritur, vtrum quisque sit homo bonus, non quærit quid credat, aut speret, sed quid amet. Nam qui recte amat, proculdubio recte credit, & sperat. Qui vero non amat, inaniter credit, quamuis sperare sine amore non possit, fieri tamen potest, vt id non amet, sine quo ad id quod sperat, non perueniat. In libris etiam de trinitate. Dilectio dei, & proximi propria & specialis virtus est piorum, & sanctorum, cum coeterę virtutes bonis & malis possunt esse communes. Et in eisdem charitatem, singulare sanctorum donum appellat, & in ea asserit discerni filios dei a filiis impietatis: Iuxta illud Christi. Per hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si charitatem inter vos seruaueritis mutuam. Et Chrysostomus. Fides per verbum Dei

1. De bap: con: don: capi. 8.
15. de tri. Euch. cap 117.
Ioan. 13.

dei nascitur, per pacem seruatur, per charitatem nutritur. Fides autem quæ non habet charitatem, nullum potest boni fructum efficere. Et Cornelium dicit habuisse veram fidem priusquam iustificaretur. Et alibi. Qui soluerit, & docuerit sic, inter christianos quidem erit, tamen minimus christianus. Basilius item magnus in proęmio libri de moribus, quanquam agebat de vera fide, tamen veritatem hanc catholicam docuit, & agnouit ex testimoniis Pauli. Si habuero omnem fidem. &c. Nunc manent tria hæc. &c. Colligit charitatem omnium virtutum esse maximam, & eam esse christiani hominis peculiare quoddam insigne, iuxta Christum. Per hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si charitatem inter vos seruaueritis mutuam. Cyrillus. Quod fides ad salutem non sufficiat. Christi etiam discipulus ostendit scribens. Tu credis quia vnus deus, dæmones etiam credunt & contremiscunt, si ergo sola fides sufficeret, multitudo dæmonum perire non posset. Et alio in loco, propterea Christum dixisse

Chrisosto. homel. 26 in Matth.
Basilius.
Cirillus in Ioannem

Cyrill9 in dixiſſe exiſtimat. Qui habet mãda-
Ioannem ta mea, & ſeruat ea, ille eſt qui diligit
Ioan.14. me, quia non ſatis eſt ad beatitudinẽ
habere mandata Chriſti, hoc eſt, ſuſce
piſſe fidem, & tenaci memoria candi-
dam euangelicorum præceptorum
cognitionem retinere, niſi ſecundum
ea viuamus. Bernardus item. Mors ſi
Bernard. dei, eſt ſeparatio charitatis. Item ali-
bi. Nõ plane omnis qui fidem habet,
ex fide viuit. Nã fides ſine operibus
mortua eſt, nec poteſt dare vitã quã
minime ipſa habuerit. Et alii permul
ti catholici. At inquies, quomodo po
Solutio teſt quis ſine charitate tantam fidem
obiectiõis habere, vt montes transferat? aut ſub
ſtantiam diuidat? & corpus ſuum tra
dat vt ardeat? ſicut Paulus in verbis
citatis dixit, huic quęſtioni reſpondet
ille Magnus Baſilius, vt refert Alfon
ſus contra hæreſes. Si memores ſu-
mus, inquit, domini dicentis, faciunt
enim omnia vt videantur ab homini-
bus, ſed quod reſpondit dicentibus.
Domine nonne in nomine tuo dęmo
Mar.7. nia eiecimus, & in nomine tuo virtu-
tes multas fecimus, cum ait ad eos.
Neſcio

9

Neſcio vos vnde ſitis, nõ quia men-
titi ſunt, ſed quia gratia dei abuſi ſũt
ad proprias voluntates. Quod vtiq;
alienum eſt a charitate dei. Hæc ille.
Rurſus ſi dixeris fidem non manere Obiectio.
in paccatoribus, nec illam diſiungi a
charitate, quod ſcriptura ſæpiſsime
iuſtificationem, & vitam ſpiritualem
tribuit fidei, quæ certe non obuenit
his qui in peccato perſtant, & fidem Ioan. 6.
non habent, vt illud Chriſti, qui cre-
dit in me habet vitã ęternã. Et iterũ:
q credit in me, etiã ſi mortu9 fuerit vi
uet. Et illud per fidem habitare Chri Ephe. 3.
ſtum in cordibus noſtris, & purifica- Actu.15.
ri, & obtineri vitæ eternæ hæredita-
tem. Ad hæc, & ſimilia, id reſponſum And.Veg.
habe, ex ſententia orthodoxorũ, ſcri li.14.in cõ
pturã hæc dicere, non quod fides ſo Triden.et
la ad vitã vel iuſticiã ſufficiat, nec ne 11.ca.23.
ceſſe eſt de fide viua, aut formata hęc
ſicuti plærique putant, intelligere. O-
perari per dilectionem incipit fides,
& paulatim perducit homines ad iu-
ſticiam, prius ſaltem natura, quam ſit
formata. Sed cauſa huiuſmodi locuti-
onum eſt, (vt ab orthodoxis copioſe
C

Ea de re i ferius. disserit) ipsa virtus & potentia fidei. quae nisi impediretur, perduceret homines ad iusticiam, atq; in ea perpetuo illos seruaret, & eximia illis bona & incrementa iusticiae pasßim conciliaret. Haec si quis perpenderit, non affirmabit restringi fidem ad sola iustificationis initia. Est ab illa initium, incrementum, & complementum iusticiae, necq; negatur illam nos inserere Christo triumphatori mundi, atq; ideo & victoriā quae vincit mundum, a Ioanne nominari. (1. Ioan. 5) Tantum ne id soli fidei quis tribuat, ita vt caeterae virtutes excludantur, vt illis neget sua laus, necq; quod commune fidei, spei, & charitati earum author esse voluit vt ex praecedentibus patet, in solidū vni fidei tribuatur. Quis enim radici germinationem abroget bonorum fructuum? quis fundamēto, domus gloriam neget, vel fastigii? Quo quidem modo, si bene quis aduertat, verius et solidius fides laudabitur, cum dicet, (Fidei laus solidior.) non sola fide nos coniungi Christo, et ipsius dona recipere, sed & operibus aliarum virtutum, quae & ipsa germinat

fiat, & idonea & potentia ad id obtinendum cum dei adiutorio facit. Fide enim quasi instrumento apprehēdimus & applicamus nobis meritum passionis Christi, cuius sanguine loti sumus a peccatis nostris, & reconciliati deo patri, cum natura simus filii irae. Ob quam passionem Christi fide applicatam, opera nostra consequentia fidem: placent deo, & merita dicuntur apud deum ex congruo, qua tenus scilicet per fidem fundantur in gratia & passione Christi, nobiscum ita paciscentis, vt credentes, volentesq; ingredi regnum coelorum, seruemus mandata dei. (Opera.) Non autem ex condigno, quod scilicet sint tanti momenti nostra opera, vt sola ex se mereantur gratiam dei, & iustificationē vitamq; aeternam. (Roma. 8.) Non enim sunt (ait Paulus) condignę pasßiones huius temporis ad futuram gloriā quae reuelabitur in nobis. Alioqui christianorum opera, diuersa non essent ab operibus eorum, qui in Christum nō credunt. (Obiectio. quod fides non sit in peccatoribus.) Iam si doctores produxerit quispiam, ex quibus videtur contra-

rium colligi posse, quod scilicet fides non est in peccatoribus, neque distinguatur a charitate, solamque sufficere ad iustificationem, ut inter cæteros est illud Augustini, qui plane testatur fidem esse animæ vitam. Quod si esset, videretur falsum, eam esse in peccatoribus, qui sunt deo mortui. Quod quidem dictum est ab Augustino, non propterea quod illa sola animum vivificet, sed illa vitæ est initium, & radix, ac sine illa nullus vivit, ac nisi impediatur, omnia nobis inferret, quæ exiguntur ad vitam. Non enim sibi contrarius fuit qui sæpe, ut citatum est, asseruit nihil ipsam valere ad vitam, si separata sit a charitate. Quod his verbis exponit Bernardus. Fidei vita charitas, & recedente spiritu, fides moritur. Item illud Hieronymi, cum dilectio procul abfuerit & fides pariter abscedit. Quæ verba Hieronymi, (ut ex præcedentibus colligitur) intelligenda de fiducia humana, quæ etiam in sacris sæpe significatur nomine fidei. Quam verum est locum non habere, ubi non est dilectio, quia non fidimus nisi

Augusti. in Ioanne

sermo. 2. de resur.

Hierony. in epistolã ad Gal.

nisi eis quos amamus, & a quibus nos amari, nobis persuademus. Hæc igitur & his similia quæ ex doctoribus ecclesiasticis proferuntur, intelligenda de fide quæ languet & est ociosa. Quod si inquiat quis, doctores ecclesiasticos aliquando dixisse fide nos sola saluari & iustificari, idque fecisse sacræ scripturæ innixos, ut inter cæteros est Origenes. Qui in verba illa Pauli. Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis ait apostolus. Dicit sufficere solius fidei iustificationem, ita ut credens quis tantummodo iustificetur, etiam si nihil operis ab eo fuerit expletum. Et statim ipse sola fide sine operibus iustificatum dicit latronem, & Magdalenam ex nullo legis opere, sed pro sola fide dixisse Christum. Remittuntur tibi peccata tua. Et mox fides tua te saluam fecit, vade in pace, Sed & in multis euãgelii locis addit, hoc sermone usum legimus saluatorem, ut credentis fidem, causam diceret esse salutis ipsius. Et paulo post. Quia nemo iuxta prophetam potest gloriari castum se habere cor, & omnis

Obiectio quod sola fides iustificet

Origenes.

Esa. 64.

 nis

his iusticia est iuxta Esaiam sicut pannus mulieris menstruatę. Sic infert, sola igitur iusta gloriatio, in fide Christi crucis, quæ excludit omnem illā gloriationem, quæ descendit ex operibus legis. Et Hilarius in illud. Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua. Monet scribas remissum ab homine peccatum. Hominem enim tātum in Iesu Christo contuebātur, & remissū ab eo quod lex laxare non poterat, fides enim sola iustificat. Ambrosius item in sermone 45. dum fœlicitatem explicat latronis, qui meruit a Christo audire. Hodie mecum eris in paradiso, ita scribit. Sed hanc tantam gloriam, vt non in alterum diem differatur, sed eadem die qua paradisus deū suscepit, susciperet & latronem, fides latroni præstitit. Fides enim est quæ peccata cooperit, vincit crimina quæ facit de latronibus innocētes. Et paulo post addit: sicut suffecit Iudæ ad scelera Christum deseruisse, ita suffecit latroni ad innocentiam domino credidisse. Et Chrisostomus in sermone quodam. Nullus sine fide vitam habu

Esaiæ 64 · Hilarius in Matth. · Ambrosi.

it, latro autem credidit duntaxat, & iustificatus ē a misericordissimo deo, atq; hic ne mihi dixeris, defuisse illi tēpus quo iuste viueret ac honesta faceret opera. Neq; enim de hoc contenderim ego, sed vnum illud asseuerauerim quod sola fides per se saluū fecerit. Nam si superuixisset fideiq; & operum fuisset negligens, a salute excidisset. Hoc autem nunc quæritur, et agitur, quod fides per seipsam saluum fecerit, opera autem per se nullos vnquam operarios iustificarunt. Et hoc probat ex Cornelio, in quo dicit ante acceptam fidem Christi bona quidē opera fuisse, sed mortua, quia fidem non habebat Christi, licet in deum crederet. Oportet enim āte opera lucere fidem, & fidei pedissequa opera. Augustinus super psalmum 31. tractans illa verba Pauli. Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis. Noli inquit præsumere de operibus ante fidē. Noueris quia peccatorem fides te inuenit, & si te fides data fecit iustum, impium īuenit, quo faceret iustum. Et ibidem dicit ex fi

Augusti.

de

de iustificatum Abraham, & si fidem,
ait, opera non præcesserunt, tamē se-
cuta sunt. Et Bernardus ad deū. Tan-
tum validus es ad iustificandum quā
multus ad ignoscendum. Quamobrē
quisquis pro peccatis compunctus e-
surit & sitit iusticiam, credat in te, qui
iustificas impium, & solam iustifica-
tus per fidem, pacem habebit ad te.
Idem in epistola 77. ita scribit, cū Chri
stus dixisset. Qui crediderit & bapti-
satus fuerit, saluus erit, caute non re-
petit, qui vero baptisatus non fuerit.
Sed tantum qui vero non crediderit,
condemnabitur, nimirum innuens so
lam interdum fidem sufficere ad salu-
tem, & sine illa sufficere nihil. Et in di
plomate Martini 5. qua condemnati
sunt Ioannes Vicleff & Hus, dilucide
asseritur fidem solam catholicam sal-
uare, & sine ipsa nulli subsidium salu-
tis contigisse. Hæc prædicta & his si-
milia catholicis non debent satis esse
vt credant fide sola posse iustificari
impium, aut tueri & conseruari iusti-
ciam, vel deniq; beatitudinem adipi-
sci. Dum enim Ecclesiastici tractato-

Bernard. ser. 22. cā.

And. Veg responsiones septē ad assertiōes quibus tribuitur iustificatio soli fidei.

res, secuti in speciem apostolum Pau
lum: fidei soli iustificationem tribue
re, & necessitatem aliorum operum
negare vident̄, non sic intelligendi
sunt vt opera ex gratia & auxilio det
facta quę scriptura ad salutem impio-
rum exigit, illis verbis excludant. Ex 1
cludunt vero aliquando sola opera
exteriora, & hoc volunt duntaxat ꝓ
certo statui, non esse opus exteriore
sacramentorum susceptione, vbi eam
articulus necessitatis excludit. Ac 2
quandoq; tantum ad opera ceremo-
nialia vel iudicialia veteris legis quæ
proprie legalia dicuntur, sermonem
referunt, & ea sola affirmant necessa-
ria ad iusticiam non esse. Et nonnun- 3
quam agunt de operibus ante fidem,
vel certe de operibus quæ fiunt vel ꝑ 4
legem, vel per naturam sine gratiæ p̄-
uenientis auxilio, & illa duntaxat vt
ad iustificationem parum vtilia reiici
unt. Interdum etiam hoc vnū eis ver 5
bis volunt explicare, non præcedere
iustificationem aliqua opera, quę sint
proprie ipsius merita, q̄bus q; ipsa ve
re debeatur, vel quia fides, sicut dicit 6

Chrisostomus per seipsam plena est operibus, & vbi primum credimus, nisi nos eam impedierimus, simul & operibus eam ornamus, fide omnia complectuntur, quæ ipsam sequunt, quæq; ipsa præscribit necessaria ad iustificationem, & fide sola aiunt nos iustificari, vt intelligamus non iustificari nos, nisi illis quæ ipsa in nobis & efficit & præstituit. Et aliquoties fidem non operibus, sed nefariis infidelium, & hæreticorum sectis opponunt, & dicentes tantum fidem nostram saluare, tantundem exprimunt acsi apertius dicerent, in nulla alia secta, vel religione posse quempiam saluum fieri, sed solum mō in fide Christi, & extra illam nemini posse salutem contingere. Sed hæc apertiora fient, cum ad dicta præcedentia doctorum, sacræ scripturæ innixorum responsiones expēdentur. Et Origenem quidem manifestum est non exclusisse per illud uerbum sola fide, opera ex fide pcedētia, videlicz dilectiōis, cōfessiōis, oratiōis aut pœnitentiæ interioris, sed exclusisse duntaxat opera exteriora, vel legalia

Solutiões locorū ex doctorib9 ante pro-ductorum

lia Mosaicæ legis. Nā vt sola fide mōstraret posse homines sine operibus legis iustificari, inducit exempla latronis scilicet & Magdalenæ, & vtrūq; dicit sola fide iustificatum. Cum tamen ex Luca constet, & latronem suorum peccatorum pœnituisse, & Magdalenæ dimissa esse peccata, quod dilexit multum. Hilarius vero propter ea dixit solam fidē iustificare, qa absq; illa lex nunq; præstare potuit iusticiam. Illa autem cum illis quæ ipsa & præcipit & facit, credentes passim iustificat. Nam verbo solam, tantūmodo legem excludit. Et hoc nimirum videtur ille dixisse, quod Theophilactus in illa verba Christi. Corā te comedimus nimis scrupulose, & aliquāto aperiens sic dicit. Non sufficiebat iudæis ad iustificationem cultus ille per sanguinis effusionem, non accedente fide quæ iustificat impium. Vnde & ipse Hilarius ne libertatem ab aliis præceptis videri posset docuisse, cap: x. subdit, fides nostra omnibus præceptis diuinæ voluntatis intenta est. Et Ambrosius in latronis iustifica

Lucæ. 23.

Hilarius.

catione non excludit opera interiora procedentia a fide, manifestum est. Quia in loco citato deuotionem fidei & spem & orationem ipsius mirifice commendat, & eum sua oratione aperte iustificatum dicit. Et sermone 44. ne putaretur nomine solius fidei, exclusisse confessionem latronis, quę actus fidei est, aut dei dilectionē, aut alios pręclaros animi affectus, quos ille habuit in cruce, expresse dicit, eum plus amasse in cruce Christum quam Iudas amauerit in cœna. Et cum a Iuda pacis blandimenta, fuerint vendita, a latrone crucis vulnera, constanter prædicata, & despexisse eum vitā præsentem & pro sola futura orasse, & se quidem accusasse illis verbis. Et

Lucæ. 23. nos quidem iuste, nam digna factis recepimꝰ. Et addit plus amare Christū ipsum cœpisse, ex quo intellexit vulnera illius, esse vulnera suiipsius, non Christi. Quod vero attinet Chrysostomi & Augustini locos supra allegatos, cum ipsi fateantur distincte operum necessitatem, soli fidei iustificationem tribuunt, quia alienum esse

pu

putarunt vt illo verbo sola fide excludi crederentur opera, quæ ab ea procedunt, & plerunq; euenire intellexerunt, vt positis illis operibus, quorū ipsi meminerunt, nihil amplius ad iustificationem deesset, quam sola fides, & præter eam statuere volebant neminem posse iustificari. Et de Chrysostomo hoc liquet, qa nihil aliud Cornelio defuisse dicit ad salutem. Et in homilia 20 in Ioannem ex illis verbis Christi. Quinimo beati, qui audiunt verbum dei sic colligit. Hic intelligimus fide semper nobis opus esse, & vita quæ virtutibus luceat hæc duntaxat saluos nos facere poterit. De Bernardo etiam apertum idem est. Quid enim aliud desit compūcto corde, & esurienti iusticiam, quam fides & spes in Deum? Qua ratione in verbis supra cittatis ex sermone 3. de annunciatione, sola spe impetrare dicit, miserationem apud deum, fides siquidem & spes, si verę sint, & nō inanes, possunt cum illis quæ ex eis sequunt̄, vel quibus innituntur impetrare dei gratiam, non autem alia opera sine ip

D iij sis

sis. Atq; ita dicimus sola dei miseri-
cordia nos ipsi reconciliari & saluari,
quia illa ad hoc sufficit, ex lege cum il
lis quæ requirit, & in nobis efficit, ni-
hil autem sufficit sine illa. In secundo
vero testimonio ex Bernardo perspi
cuum est solam fidem, appellari fidē,
quæ non habet exteriorem sacramen
ti baptismi susceptionem. Et enim ibi
meminit conuersionis ad deum & de-
syderii percipiendi baptismum, & tan
tum promittit salutem sine baptismo,
si non desit fides, pia spes, & charitas
syncera. Et in locis supra citatis palā
est ipsos asserere, fidem nō posse quē-
quam efficere rectum absq; mādato-
rum obseruatione. Iam quod Paulus
Cōciliatio locorum Pauli & Iacobi. asserit Abraamum iustificatum ex fi-
de, non autem ex operibus, Iacobus
autem ex fide & ex operibus, non sūt
sibi diuersi. Nam Paulus refellit erro
rem iudeorum, qui se meritis operū
bonorum quæ in lege pręcesserant ad
euangelicam gratiam peruenisse pu-
tabant, asserentes non esse ad eam re-
cipiendos gentiles idololatras. Vnde
ait Paulus non posse hominem iustifi
cari

cari ex operibus fidem præcedenti-
bus. Iacobus autem arguit eos, qui sū-
pta ex verbis Pauli occasione, semel
indepta fide ociosi degebāt, satis esse
sibi credentes vel ociosam ad salutē,
cum tamen (vt idem ait) fides sine o-
peribus mortua ē. Cui & Paulus sub- *Galat. 5.*
scribit dicens, fidem in Christo vale-
re, quæ per dilectiōem operatur. Pro-
inde asserunt theologi iustificationē *Iustificatio dūx.*
duplicem, primam, & secundam. Pri-
mā quidem qua ex impio fit iustus,
quod fit in momento, absq; vllis ope
rum meritis, immo absq; vllo nostro
præcedente opere. Quod vero dicit̄
præcedente, sane intelligendum. Nā *Gagneius in præfatione epistolæ ad Romanos.*
vna cum huiusmodi iustificatiōe, mo
tus necesse est accedat liberi arbitrii
in Iesum credentis, & veteris vitę pœ
nitentis, in eum quidem motum diui
nitus attracti, & pulsati. Quam nulla
opera nostra mereri, nemo neq; vete
rum, neq; recentiorum theologorum
negauit. Et de hac loquitur ad Roma
nos Paulus, ostendens nulla opera si-
ue naturæ, siue legis, iustificationem
impii meruisse, adeoq; gentiles & iu-
dæos

dæos quantum ad eam rem attinet, pares esse, eosq; de lege, illos de naturalibus frustra gloriari. Ab hac iustificatione non excluduntur opera, ex fide procedētia interiora videlicet dilectionis, confessionis, & orationis, aut pœnitentiæ interioris. Altera iustificatio qua iam accepta fide, in iusticia proficimus, & iā per fidem gratis iustificati rursum iustificamur, id est, amplius iusti efficimur: Iuxta illud. Qui iustus est, iustificetur adhuc. Ad hanc iustificationem exiguntur opera, etiam exteriora, quibus secundo
Apoca. 22 modo iustificamur, non ex dignitate nostrorum operum in se, sed cum dei gratia, & fide coniunctorum, per quę
Matth. 5. ex dei benignitate ita nobiscum paci
19. 25. scentis etiam & salutem mereri dicimur. Vnde plenæ sunt sacræ scripturæ, bene operantibus pro mercede salutem reddi ac vitam æternam. Vnde & diuus Iacobus ait. Abraham pa
Iacobi. 2. ter noster nonne ex operibus iustificatus est offerens filium suum Isaac super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus

ribus fides consumata est, & suppleta est scriptura dicens. Credidit Abraā deo & reputatum est illi ad iusticiam Iacob. 2.
& amicus dei appellatus est. Videtis (inquit) quoniam iustificatur, homo ex operibus, non ex fide tantum. Neq; ī hoc diuerso a Paulo, q dicit. Abrahamū iustificatū ex fide, nō aūt ex opibus, hic v° o fide et opibus. Nā intelligit Paulus opera fidem precedentia, quę nō merent̄ iustificatiōem primā. Iacobus vero intelligit opera, præsertim externa fidem sequentia, quæ faciunt ad iustificationem secundam, vt paulo ante dictum est. Id quod & Paulus ipse testatur cum diceret. Nō auditores, sed factores legis iusti sunt apud deum. Idq; contra sententiam quorundam, qui opera dicunt pertinere ad iustificationem, quæ est apud
homines, non deum. Non igitur sola Canō 9. cō
fide iustificamur. Vnde ille canon or cilij Tri.
thodoxorum & catholicorum. Si qs dixerit sola fide impium iustificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri qd̄ ad iustificationis gratiam consequē dam cooperetur, & nulla ex parte ne

 cesse

cesse esse eum suæ voluntatis motu præparari, atq; disponi, anathema sit.

Fides uera etsi nō uiua.

Cum igitur hæc ita sint, recte doctissimi & orthodoxi viri asserūt, esse quādam fidem veram, sed non viuā, quæ est habitus a deo infusus ad assentiendum omnibus a deo reuelatis, qui habit9, fides catholica a scholasticis theologis communiter dicit. Quam particulatim sic Magnus Basilius definit

Fides Catholica.

Basili. de uera et pia fide.

Fides est assentiens approbatio sine hæsitatione, scilicet his quæ diuinitus reuelata sunt. Atq; ab hac Christianos dicimus esse fideles, quia hæc certa animi persuasio de reuelatis a deo traditis nobis ab Ecclesia nos ab illis disseparat, qui alias sectas sequuntur. Non autem fiducia misericordiæ diuinæ siue obtentæ, siue obtinendæ, quæ fiducia aliquando fidei nomine significatur in sacris. Et si enim hæreticus fiduciam habet in deum, tamen quatenus non habet fidem prædictā, in erroreq; persistit, condemnat.

Andre: Vega in conci. Tridēt.

Neq; de alia Paulus & Iacobus loquuntur, cum Paulus ipsi vt principio, & causæ iustificationem tribuit. Et Iacobus

bus eam dicit non sufficere ad iusticiam, nisi illi adiungantur opera. Neq; enim in re tanta varie decebat tātos apostolos vti vocabulo fidei, vt aiunt doctissimi. Absurdūq; esset quę Christus & apostoli sui de fide complectēte omnia diuinitus reuelata nobis tradiderunt, ad vnam fiduciam diuinæ misericordiæ coarctare. Et Paulus ipse perinde ac Iacobus docuit, fidem solam non sufficere ad salutem.

Paulus nō dissentit à Iacobo.

Cum alibi tum apertissime in illo. In Christo Iesu neq; circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed fides quæ p charitatem operatur. Nam si fides nihil valet nisi per charitatem operet̄, nec ad iustificādum sola sufficiet. Hęc autem fides quæ nisi impediatur per charitatem operatur, est fides, quam dicimus esse in omnibus iustis, nec āmitti quocunq; peccato letali, sed sola infidelitate, vt ante ostensum est, nec in paucis disseparatur (vt grauissimi & doctissimi docent) fides theologica seu catholica ab ea de qua protestantes loquuntur, fides quippe theologica inicium est iustificationis. Illa

Differentia inter fidē catholicā ac ꝑte stantium.

vero fides de qua isti agunt, si vt communius dicunt) sit fiducia acceptationis diuinę, aut donatę misericordiæ per Christum. Manifeste posterior ē iustificatiōe, necꝫ medium, aut instru
1 mentum quo eam apprehendimus.
2 Deinde ad eam vel fiduciam obtinendę misericordię, opus non est peculiari aliquo habitu virtutis infuso, sicut ad certo credenda quę non videtur. Facile quippe est fidere ei qui iuxta fragilitatem seruat, aut vult seruare mandata dei, si quidem firmam fidem in ītellectu habeat de misericordie diuinæ immensitate, & promissionibus nobis benigne factis. Non autē
3 sic facile est reuelata, nobis tradita credere. Atqꝫ hinc sequitur fidē theologicam, & habitum esse, & actum, ac proinde in dormientibus esse posse, & non vtentibus ratione. Fiducia vero dūtaxat est actus, vel passio ex eo
4 consequens. Cumqꝫ fides theologica in intellectu fit, hæc procul dubio voluntati soli conuenit. Vnde & Paulus cum dicit in Christo nos habere fiduciam & accessum in confidentia per fidē

Ephe. 3.

fidem eius, clarissime distinguit fidē a fiducia. Merito igitur ille canon a patribus statutus: Si quis dixerit fidē iustificantem, nil aliud esse quam fiduciam diuinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel etiā fiduciam solam esse qua iustificamur, anathema sit. Et ille. Si qs dixerit ammissa per peccatum gratia simul & fidem ammitti, aut quę remanet nō esse veram fidem, licet non sit viua, aut eum qui veram fidem sine charitate non habet non esse christianum, anathema sit. Cum autem verum dicitur duobus modis, primo quod actu est ac speciem suam retinet. Secūdo, qđ vim habet & energiam: hoc est, efficaciam, & perfectionem quam iuxta speciem suam potest habere, iuxta priorem modum patres dixerunt veram fidem in peccatoribus, quia idem omnino vel actus, vel habitus fidei in eis potest residere, qui erat dum erant in gratia. Viua autem fides est, quæ se operibus charitatis exerit, quæ illi est vita, vt ante dictum est. Ex prædictis igitur omnibus ad astruendam asser-

Canon 12 con. Tri.

Canon 28 con. Trid.

Verum dicitur duobus modis

 tio

tioñem in medium allatis, inter coete-
ra, hoc qd' p̄sentis est ↄstituti, colligit.

Epilogus. Cum fides (vt praecedentia palā ostē-
dunt) a charitate disiungi possit, eaqꝫ
sola ad iustificationem & salutem nō
sufficiat, nisi charitate viuificata et for
mata fuerit: constat illa, charitatē esse
praestantiorem, etiam in hac vita, vt
pote quae sine illa immediate non p-
sit ad summum bonum consequendū.
Cumqꝫ fides ordinetur in charitatem,
(vt ex antedictis patuit) fides enim ē
vt deus diligatur, clarum est illam prę
stantiorem esse fide, praestantius eni
est illud in quod ordinatur aliud. Qd'
Augustin. li:3.ca.10. de doctrina christi. si chatitas (definitore Augustino) ē
motus animi ad fruendum deo ꝓpter
ipsum, & se atqꝫ proximo ꝓpter deū:
certe fidei praeferenda est, quod fide
non deperdita (vt ante patuit) ple-
runqꝫ homines negligunt deum. At
charitas, vt ex definitione, & antedi-
ctis patet, facit vt deum diligamus, &
eius mandata seruemus, atqꝫ ob id ab
illo amemur. Quod Christus aperte
Ioan. 14. illis verbis testatur. Si quis diligit me,
Ioan. 15. sermones meos seruabit, & pater me-
us

us diliget eum, & ad eum veniemus,
& mansionē apud eum faciemus. Qui
non diligit me, sermones meos non
seruat. Item. Vos amici mei estis, si fe-
ceritis ea quę ego praecipio vobis: Si
praecepta mea seruaueritis, manebi-
tis in dilectione mea. Item. Qui habet *Ioan. 14.*
praecepta mea, & seruat ea, ille est qui
diligit me, qui autem diligit me, dili-
getur a patre meo, & ego diligam eū,
& aperiam ei meipsum. Et certe Chri
stus sub cęnę tempus, cum extrema
verba faceret discipulis, nimirum
sciens iam eos plenos fidei non te-
mere nusquam non dilectionis &
charitatis meminit. Mandatum, *Ioan. 13.*
(inquit) nouum do vobis, vt diligatis
inuicem. In hoc cognoscent omnes,
qa discipuli mei estis, si charitatē ser-
uaueritis mutuam. Et alibi. Hoc est
preceptū meū vt diligatis inuicē. &c.
Nimirum vt innueret fidem a chari-
tate disiungi posse, illamqꝫ esse qua im
mediate deo coniungimur. Quod si *Fides esse potest sine charitate*
indiuulsa est a fide charitas, vt perpe-
ram isti somniant, quorsum toties iā
credentibus dilectionis & charitatis
verba

verba: Vbi autem alloquitur rudes & infideles, fidei meminit, quod præuia sit charitatis, spei, & cœterarũ virtutum. Hinc illa: fides tua te saluam fecit. Secundum fidem vestram fiat vobis. Hoc est opus dei vt credatis in eum quem misit ille Et similia multa. Cum vero fideles alloquitur discipulos, dilectiõis magis meminisse solet, quanquam & fidei nonnunquã. Qui & apostolus, & si fidem appellet substantiam rerum sperandarum, quod scilicet sine illa quasi sine fundamento non queat in altum strui spiritalis gratiarum ac virtutum fabrica, ob id ꝙ dixerit, sine fide impossibile esse placere deo. Tamen in loco a principio citato, charitati tribuit obseruationem mandatorum dei, immo & fidei speiꝗ corroborationem. Charitas (inquit) non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, nõ est ambiciosa, non querit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autẽ veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, hæc ille.

Quando mentio fidei à christo facta. *Matthei 9* *Ioannis 6* *Hebre. 11.* *1. Cor. 13.*

Præter

Præterea quamuis deum fide cognoscamus, tamen si a charitate alieni fuerimus, illum non nosse dicemur, iuxta illud Ioannis. Qui non diligit, non nouit deum. Quoniam deus charitas est, in qua eodem teste, qui manet, in deo manet, & de9 in eo. Sed quoniã in scripturis sacris, authoritates ad faciendam fidem validiores sunt rationibus, præter authoritates doctorum ecclesiasticorum prius allegatas, & alias plurimas, quibus illa nullum maius donum diuinum affirmant. Ipse Paulus vas electionis, in quo (vt ipse ait) loquebatur Christus, in loco citato apertissime istuc ipsum fatetur, cũ diceret. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, maior horum est charitas. Neꝗ Paulus ob hoc tantum charitatem maiorem dixit, quod in futuro istis duabus cessantibus vla mansura sit, & augenda. Sed ob alia etiam in hac vita maiorem dixit his. Non enim dicit. Nunc duæ manent, fides, spes, tũc autem maior charitas. Verum omnes complectendo in præsenti, ait. Nunc autem manent fides,

1. Ioan. 4 *1. Cor. 13.* *Loc9 pauli in quo apertissime ostendit charitatem maiorẽ fide.*

F spes,

ſpes, charitas, tria hæc, maior autem horum charitas, innuens comparationem in vita præſenti intelligi debere. Nam ſi in illa vita tantum intelligeret maiorem charitatem eſſe fide, certe in eodem capite neutiquam affirmaſſet, etiamſi fidem haberet (quæ huic vitæ conuenit) tantã, vt montes trãſferret, ſine charitate ſe nihil eſſe. Neq;
Epheſ. 3. Epheſiis ſcripſiſset. Ante omnia charitatem habentes quod eſt vinculum
Gal. 5. perfectionis. Et ad Galatas ſcribens non aſſeruiſſet, fidem in Chriſto valere, quæ per charitatem operetur. Neq; Chriſtus in extrema cœna diſcipu-
Ioan. 13. lis iam fidei plenis iniunxiſſet. Mãdatum nouum do vobis vt diligatis inuicem, per hoc cognoſcent õnes, q᷑ diſcipuli mei eſtis, ſi charitatem inter vos ſeruaueritis mutuã. Vtpote indicans non tam fidem, quam charitatẽ eſſe pecculiare quoddam chriſtianorum inſigne. Ex prædictis igitur conſtat, charitatẽ, etſi initium ſumit a fide, tamen præſtantiorem ſeu maiorẽ eſſe fide, etiam in hac vita.

Finis. Deo gloria.

2 Ad Thimoth. 4.

Erit tempus cum ſanam doctrinã non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſyderia coaceruabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus.

1. Petri 2.

Quaſi liberi, & non quaſi velamẽ habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſerui dei, omnes honorate, fraternitatem diligite, deum timete, regem honorificate.

Ad Galatas. 5.

Vos enim in libertatem vocati eſtis fratres, tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per charitatẽ ſpiritus ſeruite in inuicem.

Idem paulo poſt.

Qui autem ſũt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum viciis & concupiſcentiis ſuis.

Matthei 7.

Intrate ꝑ anguſtam portam, quoniã lata eſt porta & ſpatioſa via, quæ abducit

ducit in exitium, multiq; sunt qui ingrediuntur per illam, quoniam angusta est porta, & stricta via quæ abducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt illam.

Ibidem.

Non quisquis dicit mihi domine dñe, introibit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem patris mei.

CRACOVIAE
Apud Hære: Marci
Scharffenberger.

Anno. M. D. L. V.

